



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Hominis conquestio, qui propter inobedientiam à Domino non auditur, 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



5. En Domine illuminatio mea , & salus mea , rogavi , quibus egeo ; intimavi , quæ timeo ; sed remordet me conscientia , reprehendunt me cordis secreta ; & quod amor ministrat , timor dissipat , zelus incitat , metus increpat. Acta mea formidinem , sed tua ingerit pietas fiduciam ; tua hortatur benignitas , mea tardat malignitas. Et , ut verius fatear , occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum , quæ reverberant audaciam præsumptionum animorum.

## C A P V T III.

*Homini conquestio , qui propter inobedientiam à Domino non auditur.*

1. **C**Um enim quis odio dignus sit , qua fronte gratiam requirit ? Cui pœna debetur , qua temeritate gloriam deposcit ? Lacescit iudicem , qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio , qui donari flagitat indebito bravio ; & dulcem affectum patris stultus exacerbatur filius , qui post illatas contumelias ante pœnitentiam hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid , mi Pater , me gessisse recolo ? Merui mortem , & peto vitam. Commovi regem meum , cuius impudens invoco præsidium. Contempsi iudicem , quem temere postulo adiutorem. Insolens renui audire Patrem , quem demum præsumo habere tutorem.

2. Heu mihi quam sero venio : heu , heu , quam tarde festino : heu me , quia curro post vulne-



vulnera, dedignans incolumis præcavere jacula. Neglexi prospicere tela, modò verò sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus infixi, quia scelera sceleribus addere non timui: Recenti cicatrices labe resperfi, quia prisca flagitia modernis iniquitatibus reciprocavi; & quæ divina solidaverat medicina, mea resolvit prurigo phrenetica. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celaverat, sanie erumpente putruit: quia iterata iniquitas, concessam misericordiam exinanivit. Novi quippe scriptum: in quacunque hora justus peccaverit, omnes justitiæ ejus obliviscentur. Si justitia aboletur justis, quanto magis poenitentia peccatoris in idipsum revertentis? Quoties ut canis redii ad vomitum, & quasi sus repetii volutabrum?

3. Fateor, quia mihi recordari est impossibile, quod mortalium ignorantes peccare docui, nolentibus delinquere persuasi, resistentes coëgi, volentibus consensi: Quod sane gradientibus laqueum induxi, viam quærentibus foveam retexi, ut patrare non horrerem, oblivisci non metui. Sed tu justus judex signans peccata, quasi in sacco observasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti. Væ mihi, demum loqueris quasi parturiens.